

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Andreas Daniel Habichhorst Johann Joachim Weidner

**Partis II. Illustriorum Isaiae Locorum Dissertatio Duodecima, De Domino Super
Nube Levi Equitante Et Aegyptum Intrante, Ex Jsai. XIX. V. 1**

Rostochii: Richelius, 1689

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733613020>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 9. Febr. 1689

Habichhorst, Andr. Dan.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn733613020/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733613020/phys_0002)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn733613020/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733613020/phys_0003)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn733613020/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733613020/phys_0004)



PARTIS II.
 ILLUSTRIORUM ISAIÆ LOCORUM
 DISSERTATIO DUODECIMA,
 DE
DOMINO
 SUPER
NUBE LEVI
EQUITANTE
 ET
ÆGYPTUM INTRANTE,

Ex Isai. XIX. v. 1.

Qvam

Anxiliante Deo - Homine & R. FCte Theol. consentiente;

PRÆSIDE

ANDREA DANIELE
HABICHHORSTIO,

S. Th. D. ejusdemq; P. P. & Seren. Duc. Me-
 kelb. Consiliario Consistoriali, Collegiiq; Proft. Ducalium
 ac FCtis Theol. Seniore & h. t. Decano,


ad d. 9. Febr. A. 1689. in Aud. Maj. illustris Acad. Rostochiensis

ouçitores Academicæ exponit

M. JOH. JOACHIM. Beidner / Rost.

ROSTOCHI, Typis JACOBI RICHELII, Ampl. Sen. Typogr.

1689



De

*Domino super nube levi equitante & Agyptum
intrante*



Ost Massa Cusch sive *Ethiopicum* im- Disp.
mediate cap. XIX. incedit Massa XII.
מִצְרַיִם seu *Prophetia contra Agyptum*
edita, cujus copulæ vel immedia-
tæ consecutionis rationem innuere
Propheta videtur seqv. c. XX. 3. u-
bi is *nudus & discalceatus* jussu DEI
incedens, futuram *Aegyptiorum A-*
thiopumq; ab Assyriis deportandorum nuditatem & dis-
calceationem repræsentavit Jhudæis, qui soli DEO non
confidebant, sed ad *Aethiopum Aegyptiorumq; opem*
respiciebant, hujusq; adeo & præcedentis Massa com-
plementum externo qvodam & evidenti Symbolo, in Jhu-
dæorum oculos incurrente, obsignavit. Scilicet hæ gen-
tes födere contra Assyrios se conjungebant, hinc eadem
qvoq; in annunciatione supplicii, qvod Assyrius infer-
re debebat, conjungendæ erant. Licet autem Massa hoc,
æq; ac alia, sit *pœnale*, adeoq; *Aegypto pœnam & ever-*
sionem prænunciet; nihilominus tamen, ceu alibi, ita &
hic, pœna vel minis annexitur *Consolatio Evangelica*, qva
post *everzionem Aegypto* prædicatur *conversio tempore Mef-*
siæ futura, ut adeo si clausula hæc *Evangelica* pro parte
hujus Massa placuerit haberi, *duæ* sint capitis hujus *partes*
constituendæ, qvarum *prior*, *que pœnalis, Aegypti humiliati-*
onem & everzionem; *posterior*, *qvæ Evangelica*, ejusdem
exaltationem & conversionem prædicat. In priori parte cir-
ca *Aegyptum humiliandam & evertendam* varia occurunt,
scil. (1) *Aegypti commotio v. i.* (2) *fluminum terraq; nascen-*

Gg

tium

tium Ægypti consumtio v. 5. seqq. (3) Ejusdem maiestudo v. 8. (4) obſlupefactio v. 11. seqq. Ad commotionem spectant, qvæ primo statim versu leguntur verba **הנֶּחָרֶת יְהוָה רַכֵּב עַל־עַב קָרְבָּא כִּצְרוֹן** i. e. Ecce Dominus equitat super nube levi & intrabit Ægyptum & movebunt ſe ſimulacra Ægypti à facie ejus & cor Ægypti liquefiet in medio ejus. De quo Dominus & nube veloci, ſuper qua Dominus equitavit & Ægyptum intravit, qvin aliquid annotemus facere non poſſumus: qværitur enim, an hæc verba de Dominis JESU infante cum Matre tanquam nube levi, in Ægyptum fugiente, loquantur; an verò alium admittant ſenſum? qvem proinde investigabimus & deinde uſum paucis ſub jungemus.

§. 2. Pro ſenſu loci indagando diſtinctè conſideranda eſſent ſequentia (1) Dominus & qvis ille? (2) ejusdem equitatus & ingressus in Ægyptum (3) terminus ad quem equitatus & ingressus. (4) Vebiculum nubis, qva eqvitavit & incessit (5) effectus ejusdem incessus, nempe ſimulacrum cordiumq; Ægypti commotio. Ceterum his hac vice ambagibus haut indigemus, ſed unā tantum qvæftione tractanda includemus: Scilicet qværitur, an Prophetæ b. l. literali ſenſu fugam & iter infantis JESU in Ægyptum, qvod monitu Angeli Josephus cum Maria & infante uſcepit juxta Matth. 2. prædixerit, ita ut Dominus inſidens nubi levi & Ægyptum intrans ſit infans Dominus JESUS, & nubes levias ſuper qva incessit, notet humanam ejus naturam, ſive matrem ejus Virginem; an verò hīc ad adventum Christi in Ægyptum per levem Evangelii nubem respexerit? an verò majestaticum Dominiq; ut judicis, Ægyptum repente & conſpicue punituri & in nubis vehiculo repræſentati, inceſsum indigitaverit?

§. 3. Quod enim Casaubonus olim Exerc. 2. adverſus Baronii Ann. n. 14. de veteribus dixit: obſervare licet in
vetere

veteribus mirum studium aptandi Messiae omnia Prophetarum oracula ac penè dicta, quæ res interdum eos impulisse videatur, ut ea dicerent, quæ haut scio quam sint firma; id sane circa hunc quoque locum observare licet. Siqvidem Veteres illum ad Christi tempora referunt, ita ut quidam dicant, Dominum Jesum infantem super nube levi Aegyptum esse ingressum, & simulacra concussisse in humanitate sua, alii in verbo suo; in humanitate quando nocturna quadam ἀνδρὶ monente, cum Maria Matre & Josepho in Aegyptum fugit; in verbo, cum Evangelium Aegyptiis est prædicatum. Ex his ergo quidam per levem hic nubem intelligunt Mariam Virginem, cuius ulnis puer datus sit in Aegyptum. Ita Ambrosius in Psal. 118. Serm. 5. & in Exhortatione ad Virgines, ubi ita de Maria: Nubem Mariam dixit, quia carnem gerebat levem; quia Virgo nullis erat oneribus gravata conjugii, & lib. de institut. Virg. hac, inquit, Christum nobis pluit, & per eum interna mentis nostra humecat & concupiscentiam reslingvit. Neque sententiam istam Procopius & Hieronymus improbare deprehenduntur. Ita enim hic: Virgo Maria nubes dicitur levis, quia nullius concupiscentie aut conjugii onere prægravata; ille vero: super res terrenas quasi nubes eminebat mundumq; suo peccatorum fœnore & onore allevabat. Syri quoque virginem salutantes Mariam, in hac erumpere verba solent: Salve à nobis genitrix DEI, salve nubes velox, de qua dixit Esias gloriōsus, salve arca testamenti. Ex qua Syrorum oratione clarescit, eosdem ad hunc Isaiae locum respicere, eumque adeo de Christo ejusque matre interpretari. Vid. Hakspan. in notis ad h. l. Alii verò per nubem intelligunt Christi humanitatem. Ita Hieronymus & Cyrillus h. l. nec non Chrysostomus in illud Matth. 2. tolle puerum & matrem ejus & fuge in Aegyptum. Eusebius quoque l. 2. Demonstr. c. 4.

Gg 2

item

item *Athanasius*, Augustinus, Bernhardus & alii, quos *Cornelius à Lap.* in Comment. h. l. p. 199. citat: *Venit, inquit, Christus in nube levi, i. e. in corpore concepto de Spiritu S. ex sacra Virgine Maria: Sicut enim nubes ex spiritu & vapore terra generatur: sic Christi corpus formatum est ex Spiritu S. & terrena substantia Deitatis solem temperante, quo nectus est Christus puer, fugiens Herodem in Ægyptum, quasi pariens pluviam i. e. doctrinam spiritualem, qua paulò post Ægypto impluit tot sancta germina Monachorum totq; flores illustres Ecclesie Alexandrina sub S. Marco & deinceps. Isychius verò in illud c. 5. Levit. quo legitur arca, ait, appellari nubem Christi humanitatem, in qua venit ad nos, aut certe verbum Evangelii, quia illo defertur Dominus in varias regiones, atque ita pracones Evangelii vocari posse nubes volantes, quia Dominum tanquam cœlestem imbram in omnem locum circumferunt. Ita quoque Salmero T. 3. tract. 44. de fuga Christi in Ægyptum, scribit, quod Christus civitatem Solis ingressus (quæ Heliopolis vocatur Græcis) venerit in templum (in quo tot erant idola, quod dies annus solaris complectitur) & ad hunc Virginis cum Christo ingressum omnia simulacra corruerint, atq; tunc impletum fuisse, quod de nube levi predixerat Esaias; nubem tamen levem de sancta quoque humanitate Christi accipit, in qua delitescebat (ceu ait) divinitas. Præterea & Procopius per nubem intelligit Baptismum, ita ut primum Christus in Ægyptum sit ingressus in nube levi, cum incarnatus corpore ex virginе assumto, ejus brachiis veluti curru Cherubico ed delatus est; postea vero ingressus est veluti in nube gravi aquis onerata, quæ rorem pluviamque baptismi cœlestem post ascensionem in Ægyptios effudit. Ceterum hæc interpretatio potius allegorica quam literalis est putanda; quamquam allegoriæ tali locus h. l. esse nequit, ceu ex dicendis patebit. Alii ergo*

ergo ex veteribus & recentioribus, cum manifestum sit, verba textus istum non admittere sensum, priores expositiones de Maria &c. pro *allegorica interpretatione* accipiunt; *literali* vero *sensu* hunc locum de *excidio Aegypti per Assyrios*, *Babylonios*, *Persas* aut *etiam Romanos* intelligunt. Ita *Haymo*, *Hugo*, *Lyranus*: neque negat id *Hieronymus*; qui modo haec de Christo, modo de Assyriis interpretatur. *Santio* quoque in *Comment. Isai. h. l. p. 195.* posterior haec sententia, quae *historice de clade Aegypti per Assyrios & Babylonios h. l.* accipit & *in nube celeritatem* intelligit, quam Dominus in evertendis adhibuit Aegyptiis, magis probatur; in sensu tamen mystico dicit, *nubem levem esse Christi humanitatem*, quae divinitatis copiosum & fœcundum imbre i. e. inexhaustas illius opes in orbem invexit. *Cornelius à Lapide h. l.* ut & *Lutherus* per *nubem levem velocissimum* intelligit exercitum *Assyriacum*, cuius quasi dux & ductor fuerit Deus, qui illos in Aegyptum celeriter & potentissime immisit, ut instar nubis densæ fulmen i. e. tela & sagittas in Aegyptum vibraret. Licet vero nihil absurdum illa habere sententia videatur, quae per nubem hanc levem velocissimum & hostilem intelligit exercitum; rectius tamen per incessum Domini super nube levi intrantis in Aegyptum h. l. describitur *Majestas DEI irriti*, vel *majestaticus & festinabundus judicis DEI Aegyptum punituri*, vel *quasi in praesens punientis incessus*. Consentit *B. Varenius nosler Comment. Isai. h. l. p. 131.* & *B. Seb. Smidius* *Comment. h. l. p. 167.*

§. 4. Nam (1) loquitur Propheta de Domino quasi de Rege potenti & bellicoso, qui celeri equitatu vehatur in hostium terras. In fonte est *רַכְבָּם ecce Dominus equitat;* verum cœlestes ipsi eqvos eosdemque; velocissimos tribuit, *nubes* nempe *leves* ac celeres Regique cœlesti convenientes.

tio PARTIS II. ILLUSTRIORUM ISAIÆ LOCORUM

tes. (2) *Nubes*, qvæ h. l. dicitur נָפָה h. e. *levis* (qvæ levitas velocitatem notat) de tempestuosa & fulgurante & tonante & velociter incedente est intelligenda, adeoqve incessum irati planè DEI connotat : velocius enim nubes solent esse tempestuosæ, Psalm. 118. 8 ---- 16. (3.) Aliibi qvoqve in Scripturis DEus, cum majestas ejus insinuatur, *equitare super nubibus* dicitur Psal. 68. 1. item *equitare super cœlis* v. 34, cujus adeo currus sunt nubes Psalm. 104. 3. (4.) Capitis hujus & *titulus* & *contextus* nostræ faciat sententiæ, & adversæ, de Christo infante cum Matre vel humanitate vel verbo Evangelii Ægyptum intrante, adversatur. Titulus enim כָּשֵׁר וְעַדְיָה h. e. *onus Ægypti*, prophetiam notat Ægyptiis onerosam, conf. Disp. 1. partis hujus II. loc. 1. proinde, ut præcedentes Prophetiæ, eundem habentes titulum, Babyloniis, Philistæis, Moabitis, Syris, Æthiopibus aliisqve, ita & hic Ægyptiis excidium prædictum: unde & statim ab initio capitum Ægypti commotio insinuatur, hujusq; commotionis tum *causa suprema*, qvæ Dominus super nube levi equitans, tum qvoq; *subjectum*, qvod suut Ægyptiorum simulacra & corda, nominantur. Causa vero suprema Dominus describitur (α) ut *majestaticus*, incedens super *nube*, (β) ut *fæsinabundus*, super nube levi, (γ) ut *adversarius* contra Ægyptum v. 1. Qvis vero *onus* & triste supplicium id esse putaverit, si dicatur, sive filium DEI incarnatum & infantem cum Matre vel humanitate sua ap. Ægyptios refugium in exilio qvæsivisse ; sive Evangelii Christi lucem Ægyptiis idolatriâ excœcatis affulsiisse ? annon potius beneficium hoc esset communibus omnium votis expendum ? Unde hîc *Musculus* in Comment. h. l. p. 274. recte ita: *nisi, inquit, præmisisset (titulum) onus Ægypti, poterat hac particula (versus 1.) suspectum reddere lectorum, in quam*

quam partem, bonamne an malam, adventum hunc Domini in
 Ægyptum acciperet. Verum quia præmisit de onere Ægypti, sa-
 tis præmonuit, habere illum non praconium Evangelicum, sed
 minas Divinae ultionis. (5.) Nihil est, qvod urgeat nos, ut
 cladem istam vel commotionem Ægyptiacam spiritua-
 liter magis & figuratè, qvàm corporaliter & propriè in-
 telligamus. (6.) Adversa qvoq; sententia de Domino in-
 carnato infante, cum Matre in Ægyptum fugiente, qvæ
 per nubem hanc levem intelligit vel humanam Christi na-
 turam, vel Virginem Mariam &c. multa habet abscona,
 nec adeo toleranda, si vel maximè cum Patribus & Pon-
 tificiis allegorico faltem sensu proponatur. Nam (α)
 ipse positus רוכב עַר i.e. eqvitans super nube levi, ap-
 paratum exercite cujusdam Majestatis infert, qvalis exal-
 tationi convenit: qvomodo filius DEI ad judicium in nu-
 be gloria apparebit Matth. 26. 24. Tota verò Christi
 infantia ad exinanitionem JESu pertinebat, adeoqve hæc
 allegoria exinanitioni ejus repugnat. Neqve in sacris ad-
 ventus Domini JESu in nube, nisi sub statu exaltationis me-
 moratur. (β) Qvod humanitas Christi in Ægyptiaca hac
 fuga & itinerario instar nubis habuerit levis in ordine ad
 ipsumet Dominum JESum tanquam Jhovah & tanquam
 insidentem nubi, inconvenienter dicitur. Neqve verò
 seqvitur: humanitas Christi ad ροντ s. DEI filium sese ita
 habuit, ut nubes illa Exodica ad ipsum Domini Angelum,
 mirabilem Israelis ductorem relata, Exod. 14. 19. seqq.
 umbra ejus fuerit, salvâ mysterii unionis dignitate & in-
 distantiæ illius hypostaticæ eminentiâ: Ergo & in fuga
 hac Ægyptiaca humanitas ejus habuit se ut nubes levis in
 ordine ad ipsum ut Dominum, leviqve nubi insidentem.
 Nam prius qvidem datur; posterius verò perperam ap-
 plicatur & statui ejus exinanitionis, ceu antè ostensum,
 repugnat.

repugnat. Et quomodo Deus nubi humanitatis in hac fuga insidens, concordet cum illo Angeli imperativo ad Josephum: assume puerum ac matrem ejus & fuge in Aegyptum Matth. 2. 13. non apparet (γ) Si adversa interpretatio, de Jesu infante cum Matre in Aegyptum fugiente, locum obtineret, sequeretur non magis Mariam Dei matrem, quam Josephum nubem esse levem; immo & hunc magis, quam illam, propter autoritatem Josephi tam in infantem quam in matrem, esse nubem: siquidem & mandatum Angeli ad Josephum dirigebatur Matth. 2. 13. idemque mandatum ab eodem Josepho executioni dabatur: Joseph enim assumebat infantem & matrem ejus, & secessit cum illis in Aegyptum v. 14. (δ) Adventus Domini Jesu in Aegyptum, Jesu inquam sive *infantis* sive *prædicati*, non fuit ipsi Aegypto pœnalis, neque effectuum tot pœnalium productivus, ex quibus primo statim versu nominatur tum *idolorum Aegyptiacorum commotio*, tum *cordium Aegyptiorum liquefactio*. Ubi notandum, *commotionem idolorum* non statim motionem de loco inferre: (nam Ebræa vox γυνα tribuitur *cordi* suprà c. 7. 2. *& commotum est cor ejus*: & *terra* c. 24. 20. *labiis* 1. Sam. 1. 13. *capiti* IJob. 16. 5. proinde significatio ejus non statim trahenda est ad motum, quo quid prorsus de *loco tollitur*) adeoque & h. l. *idolorum commotionem* non tam de materia idolorum effigiata, quasi illa de sede fuerit dejecta, quam de iis, qui idolorum quasi anima erant, nempe Diabolis, intelligentiam esse, quippe quibus per divinam Domini super nube equitantis potentiam omnis operatio fuit inhibita, quam per idola vel ad idola exerebant. Idola enim hic considerari, quatenus Aegyptii per ea & oracula & consilia accipiebant, ex seqv. v. 3. colligitur, ubi dicitur, *Aegyptiorum consilia esse frustranda, ipsorum tunc sua esse idola consulturos*, scilicet

scilicet frustra, qvod subintelligendum. Postquam enim à Domino super nube levi Ægyptum intrante commovebantur, nulla amplius oracula edebant. Interim credibile est, idolorum quoque materiam in progressu per manus hostium fuisse abreptam, cum aurea procul dubio & argentea fuerit, quam prædæ loco diripuerunt; ligneam vero igni esse traditam & lapideam denique confractam.

§. 5. Ceterum pro adversa, de infante JESU in Ægyptum fugiente, sententia militare (1) illud videtur, qvod Ægyptiorum statua vel simulacra, juxta hunc Isaiæ locum, adventante in Ægyptum Christo infante sint concussa, & alia planè multa exilium ejus comitata sint miracula: siqvidem unicus de *infantia Christi* olim conscriptus liber ingentem miraculorum horummet numerum comprehendit. Verumtamen, cum jamdudum à Scriptoribus Ecclesiasticis observatum esse sciamus, librum hunc esse apocryphum, commenta ejus attendere nefas esse putamus. Illa potius respicienda, qvæ ex aliis Autoribus tum recentioribus, tum veteribus relata nobis objiciuntur. Salmeronis verba T. 3. tract. 44. de *fuga Christi in Ægyptum*, scribentis, qvod ad hunc Virginis cum Christo ingressum omnia corruerint simulacra, atque tunc impletum fuerit, qvod de nube levi prædixerat Isaias, suprà jam §. 3. notavimus. Salmeroni consentit Baronius, qvi in Annalibus ex Sozomeno refert, ad Christi infantis adventum in terram Ægypti, arborem proceram, qvæ Persis vocatur, se ad adorandum infantem JESUM inclinasse & statuas omnes concusssas esse. Sed ipsum audire Sozomenum præstabit, qvi l. 4. histor. c. 20. seqventia annotavit, uti ex Græco translata habent: Memorant arborem esse, qvæ Persis dicitur, Hermopoli, qvæ est oppidum Thebaidis, cuius fructus, aut foli-

um, aut particula quædam corticis agrotis admota, morbos à compluribus depulerit. Nam traditum est, Josephum, cum propter Herodem, assumtis secum Christo & Maria Sancta Deipara fugisset, venisse Hermopolin, atq; simul ut porta appropinquaret, islam arborem, licet plane maximam, adventu Christi turbatam esse atque ad solum usque se inflexisse & Christum adorasse. Quæ quidem, si quid ego judico, significabat, non modo arborem sua sponte commotam esse; verum etiam omnes Ægyptiorum statuas adventante tum Christo, juxta prophetiam Esaiæ concussas &c. Eandem de illa arbore & statuis relationem Ecclesiastice inseruit historiæ, quam conscripsit, Nicephorus Callistus lib. 10. c. 31. Imò & alii Scriptores non tantum rem illam eo modo accidisse referunt, sed ut penitus persuadeant, traditionem hanc infallibili etiam predicatione Prophetarum stabilire conantur, ad probationem rei allegantes non tantum hunc, de quo agimus, Isaiæ locum, de simulacris Ægypti à facie Domini Ægyptum ingressi commutis: Sed & loca ex Jeremiac. 43. 13. & Ezechiele c. 30. 13. hanc in rem producere non pigrantur. Conf. Epiphanius in Coament. de vitis Prophetarum & Autor Chronici Alexandrini p. 367. Hactenus, quæ objiciuntur & objici possent, adduximus. At vero quamvis alienum à nobis quorundam sit studium, qui nimiam prope veterum credulitatem acerbissimis proseqvuntur dictariis, neque veteribus Ecclesiasticæ historiæ Scriptoribus insultare ventur: quomodo & Calvinus, Commentario in Isai. h. l. p. 152. illa hactenus à veteribus & quibusdam recentioribus recensita & objecta ad hunc locum miracula non revertur figmenta vocare puerilia & refutatione indigna: quamvis etiam hæc & alia sanè multa accidere sic potuisse non negemus, siquidem & Sacra N. T. Scripturâ teste Christus DEI filius, in medio exinanitionis statu, non raro fulgidis-

gidissimos divinæ majestatis assumtæ Carni communicatae radios emisit: q̄ uōmodo & Johannis c. i. 14. visionem glorie Domini JESU cum re-
censione incarnationis ejusdem arctissimè conjunxit dicens: *Et vidimus
gloriam ejus &c.* Qvamvis denique omnium minimè Casauboni judi-
cium hac de te latum probemus, qvo ne fieri quidem talia potuisse cen-
suit, ita in *Exerc. Anti-Baron.* p. 192. concludens: *Hac miracula si vera
sunt, non à Christo, quatenus est Christus, facta sunt, sed Christo conti-
gerunt: siqvidem contra hos Calvini Socios, veram & realem idio-
matum divinorum communicationem, per unionem personalem carni à
Filio DEI assumtæ factam, constanter credimus & docemus; non pos-
sumus tamen qvīn, ubi de his veterum relationib⁹ agitur, tutissimum
τὸ ἐπώχειν censeamus, adeoque in iis acqviescatns miraculis, de qvi-
bus idem Johannes c. 20. ait: *hac scripta sunt, ut credatis &c.* Inte-
rim tamen Spanhemii conjecturam, qvæ in *Dubis ejus Evangel.* part. II.
Dub. 60. 61. p. 470. legitur, non planè ineptam judicamus. Conje-
ctat enim, qvod à multis miracula sint confusa, ne fugiā Christi piorum
animi offenderentur, & ut fugam hanc à contemptu vindicarent. Addi-
mus nos: & à calunnia tam Iudeorum quam Ethnicorum vindicarent.
Etenim Iudeus ap. Celsus (referente Origene in *Philocalia* c. 18.) ita
Dn. JĒsum Servatorem nostrum criminando alloquitur: *Quid cum di-
scipulis huc & illuc aufugis? quid te infantem opus erat in Aegyptum de-
ferryi, ne interficerere? DEum enim à morte sibi metuere non oportebit.*
Ad qvam tamen criminacionem Origenes ibid. respondit, simulque fu-
gam Aristotelis allegavit, ut fugam Servatoris nostri licitam propriis
gentilium exemplis doceret. Conf. Eusebius lib. 9. de *Demonstr. Evangel.* ubi contra infideles eandem in rem prolixius disputavit. Item Span-
hemii Dub. Evangel. part. 2. dub. 60. 61. p. 471. ubi undecim fugæ ra-
tiones contra criminaciones producit. Ceterum ad citatas miraculo-
rum probationes qvod attinet, loca sane qvæ producuntur ex *Isaia*, *Je-
remia* & *Ezechiele*, satis incommodè allegantur nihilqve probant. De
primo, nempe nostro *Isaia* loco nihil amplius hic addere vacat, cum
ex superioribus jam de sensu ejus genuino constet. Ad secundum ex
Jerem. 43. 13. petitum, qvi ita juxta Vulg. habet: *conteret statuas do-
mus solis, qvæ sunt in terra Aegypti &c.* Respond. Scopum Prophetæ
longè alium fuisse, scilicet ut Iudæis planè immorigeris abitum adver-
sus DEI iussa in Aegyptum meditantibus, certissimam illius regni rui-
nam,*

16 PARTIS II. ILLUSTRIORUM ISAIAE LOCORUM

nam, adeoque duriora illis, quam in Palæstina metuebant, mala à Rege Babel imminere, annunciatet. Ad tertium ex Ezech. 30. 13. productum, qui sic habet : *Et disperdam simulacra & cessare faciam idola de Memphis &c.* Respond. ejusdem generis cum præcedente hunc esse locum, adeoq; Prophetam prædicere cladem, quam Chaldæi Ægyptiis intulerunt. Vid. præced. c. 29. Ezech. v. 18. 19. 20.

§. 6. Deinde etiam pro adversa de infante JESU in Ægyptum fugiente sententia facere videtur, quod, ut in exemplo Hos. 11. 1. de Israële & pueri JESU ex Ægypto revocando typus simul & antitypus eadem literâ ad apprehendendum proponitur, cuius adeo sensus literalis alter in scriptura N. Testamenti Matt. 2. 15. aperte explicatur, ita & hic apud Isaiam sensus ille de JESU infante in Ægyptum fugiente velut subordinatus priori literali superius exposito, de Majestatico eoz festinabundo DEI ut judicis Ægyptum punituri incessu, à Spiritu S. intendatur: dubium enim hoc iisdem ferè verbis proponit B. Varenius noster Comment. part. 2. h. l. p. 134. ita ut prius de Hosee loco concedere, posterius vero de hoc Isaiae loco negare videatur, dicendo, *quaestio[n]is id esse, nego, illud Hosee huic exemplo convenire.* Nos autem respondemus utrumq; negando. Scilicet uti ap. Hoseam c. XI, 1. Typus simul & antitypus non eadem litera ad apprehendendum proponitur, sed Israel & Filius DEI distincta sunt subjecta, ita ut per filium DEI ap. Hoseam literali sensu Messias DEI filius juxta Matthæi interpretationem c. 2. 15. intelligatur, uti abunde illud in *gemina Dissertatione sua Inaugurali* ad locum Hos. 11. 1. ex decreto R. FCtis nostræ ostendit & singulari laudo tuetur Pl. Rev. & præcellentiss. Candidatus noster Dn. Gruenebergius ad majora sane natus & aptus: ita multò minus hic apud Isaiam sub Domino super nube levi equitante & Ægyptum intrante Typus simul & antitypus eadem literâ ad apprehendendum proponitur, ceu ex præcedente sensus evolutione clarescit.

§. 7. Tandem de usu quoq; loci pauca addemus, cum spatio excludamus: discimus enim hinc (1.) visitationes irati DEI prohibere nihil posse: hostium quidem exercitui potest occurri multisq; ille machinis prohiberi, ne terras ingrediatur nostras, at vero quis adventum DEI prohibebit, qui pro equis utitur nubibus iisq; celeribus? (2.) Irascente DEO neminem non commoveri. Ultinam &, irati cum DEI vestigia observamus, nostra ad poenitentiam corda commoverentur, & simulacula simul, qvibus
heu confidimus, loco moveremus!



Corollaria à Respondente adjecta.

- I. **Q**uamvis annus Nativitatis Christi variè decidatur, probabilior tamen istorum videtur opinio, qui intra Millenarium IV. subsistunt.
- II. **C**onstantinus M., non Philippus Arabs, primus inter Imperatores Rom. Christianismo nomen dedit.
- III. **V**ulgò, planè tamen ἀκύρως dicitur, quod Novatiani lapsis omnem denegent in his terris veniam; non enim Novatus, sed Novatianus ita sensisse videtur.
- IV. **R**ectius creduntur olim Libellatici dileti, qui data pecunia chartam, ac si privatim abnegassent, exhibuerunt, ita semet sc. à publica apostasia redimentes.
- V. **E**tiam in Historicis & Chronologicis Claritas Scripturæ rectius ex connexione Sp. Sancti, quam presumptionibus extraneorum queritur.
- VI. **E**cclæsia Pontificiorum normans & judex controversiarum fallitur.
- VII. **O**mnipræsentia Corporis Christi est res fidei, non rationis.
- VIII. **P**ietismus est destrucción omnis policioris eruditio[n]is, & apertissima ad obscuritatem via[s].
- IX. **O**mnia Apostata directè damnatur.
- X. **C**irca corporalia dispensat sepius scientia DEI Libera, multaq[ue] necessitantur.

Ad

Clariss. & Præcellentem DN. M. WEIDNERUM,
Ante sexennium in Colleg. Disputatorio super Aug. Confess.

& Form. Concordia Auditorem eximium,

Jam post specimen qvædam Philosophica suos etiam profectus R. FCTi nostræ (hactenus Collegia tum Historicæ Ecclesiasticum tum Homiletica concedendo conatibus Ejusdem faventi) specimine Theologico publicè probaturum.

Dotibus ingenii satis eloquique potentis
Instructum, voco Te * munus, Amice, DEI.
Maneris hinc etiam censes hoc esse Tuimet,
Pluribus ut prosis dotibus usq[ue] Tuis,
Ut vere * Domini munus reputere, qvod ipsum
Insuper ingenii tot documenta docent,
Perge Juventuti donis servire DEOque,
Sic augebuntur munera clara DEI:

Erue

*Erue + sic pergens Scripturis munera summi,
Erue, repperies qvæ recreare queunt,
Teque decus munusq; sacrum meritumq; manebit,
Qvod Tibi pro studiis munera grata feret.*

M. WEIDNERUS:

Anagr.

LMg;

* *Verè munus DEI.*

† *Erue munus DEI.*

A. D. HABICHHORST, D.

* **D**um nesus (a.) Ägypti durus circumdatur agris, (a.) *Ez. 31, 8.*
Nec fructus (b.) hæret crinium viro; (b.) *Luc. 13, 6, 7.*
Quem monstras, eqvitans veloci nube Jebovah (c.) *2.Sam. 5, 24.*
Ceu ventus (c.) est è machina (d.) propinquans. (d.) *Pf. 97, 2--6.*
Silva ruit; sed clamat io! io! (e.) sancte triumphe! (e.) *Apoc. 19, 1, 6.*
Ordo cohortum (f.) machinam secutus. (f.) *Pf. 68, 18.*
† Sed meliora Tibi! Tua mens ager: illius agri
Weidnere, virtus (g.) publice virescit. (g.) *Luc. 8, 15.*
Fructus adest: clamamus io! io! nam DEus (h.) instat; (h.) *I. R. 19, 12, 13.*
Sensumne? fert è machina (i.) { decorum.
{ salutem. (i.) *Ef. 62, 11.*

Magister Joannes Joachimus Weidnerus:

Anagr.

* *Nemus è duris agris! io! io! è machina Ventus.*

† *Io! io! virtus agri. Sensumne è machina DEus.*

*Nobilissimo, ac Præcellenti Domino M. WEIDNERO, Fau-
tori suo, atq; Amico sincere Colendo in fidem, & pi-
gnus affinitates sua sponte ludens hac transmittit*

JOH. PETRUS Grünenberg/
Ph. M. & S. Th. Ldus.

* **S**o will der Tugend-Gleis sich in dem Wissen zeigen:

Da die Catheder heut dein muntrer Geist belebt.

Drum muß auch Ehr und Ruhm mit Recht sich vor dir neigen.

Wer lebt nun recht beglückt? der so nach Tugend strebt.

Mit diesen wenigen doch wollgemeinten Zeilen wolts
In höchster Eile seine Schuldigkeit gegen seinen
treuesten Freund abstatthen

Dessen tieffverbundener

M. HENRICUS ASC. Engelse,





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn733613020/phys_0021](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733613020/phys_0021)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn733613020/phys_0022](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733613020/phys_0022)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn733613020/phys_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733613020/phys_0023)






Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rostdok/ppn733613020/phys_0024](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn733613020/phys_0024)



Locus XIV. ISAI. XIX. v.

gidissimos divinæ majestatis assumtæ Carni communio
q̄omodo & Johannes c. 1. 14. visionem glorie Dor-
censione incarnationis ejusdem arctissimè conjunxit
gloriam ejus &c. Qvamvis denique omnium mini-
cium hac de re latum probemus, qvo ne fieri qviden-
sunt, ita in Exerc. Anti-Baron. p. 192. concludens: P-
sunt, non à Christo, qvatenus est Christus, facta sun-
gerunt: siqvidem contra hos Calvini Socios, vera-
matum divinorum communicationem, per unionem
Filio DEI assumtæ factam, constanter credimus & a-
sumus tamen qvīn, ubi de his veterum relationibūs
τὸ εὐαγγελίον censeamus, adeoque in iis acqviescatm
bus idem Johannes c. 20. ait: *hęc scripta sunt*, ut
tim tamen Spanhemii conjecturam, qvæ in Dubiis e-
Dub. 60. 61. p. 470. legitur, non planè ineptam ju-
ctat enim, qvod à multis miracula sine confida, ne
animi offenderentur, Et fugam hanc à contentu v-
mus nos: & à calunnia tam Jhudeorum quam Erbi-
Etenim Jhudæus ap. Celsum (referente Origene in P-
Dn. JEūm Servatorem nostrum criminando alloquitur
scipulis buc & illuc aufugis? quid te infantem opus ca-
ferri, ne interficerere? DEum enim à morte sibi me-
Ad qvam tamen criminationem Origenes ibid. respo-
gam Aristotelis allegavit, ut fugam Servatoris no-
gentilium exemplis doceret. Conf. Eusebius lib. 9. C-
gel. ubi contra infideles eandem in rem prolixius dispi-
hemii Dub. Evangel. part. 2. dub. 60. 61. p. 471. ubi
tiones contra criminationes producit. Ceterum ac-
rum probationes qvod attinet, loca sane qvæ produc-
remia & Ezechiele, satis incommodè allegantur nihil
primo, nempe nostro Isaiæ loco nihil amplius hic a-
ex superioribus jam de sensu ejus genuino constet.
Jerem. 43. 13. petitum, qvi ita juxta Vulg. habet:
in solis, que sunt in terra Aegypti &c. Respond.
longè alium fuisse, scilicet ut Jhudæis planè immorig-
sus DEI iussa in Aegyptum meditantibus, certissim-



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No.